

Ex nobis, fallit aut ludit, ut cum unus & solus & singularis esset, numeroſe loqueretur: Aut nunquid angelis loquebatur ut Iudæi interpretantur, quia nec ipſi filium agnoſcunt? An quia ipſe erat pater, filius, ſpiritus? Ideo pluralem ſe præſtans, pluraliter ſibi loquebatur? Imo quia iam adhærebat illi filius ſecunda perſona ipſius, & tertia, ſpiritus in ſermone ideo pluraliter pronunciauit, faciamus, &, noſtram, et, nobis. Cum quibus.n. faciebat hominem, & quibus faciebat ſimilem, filio quidem, qui erat induiturus hominem, ſpiritu uero, qui erat ſanctificaturus hominem. Denique ſequens ſcriptura diſtinguit inter perſonas. Deus hominem fecit, ad imaginem Dei fecit illum. Cur non ſuam, ſi unus faciebat & non erat, ad cuius imaginem faceret? Erat autem, ad cuius imaginem faciebat.

XXXVIII. Longum nimis eſſet, & admodum tædioſum lectori, ſingulorum interpretum uerba recensere in eandem ſententiam, & nihil opus eſt, quia libri ſunt in omnium manibus. Non citabo igitur ſcripturæ expoſitionem ex patribus prius, quam exponam, quomodo
ipſe